

INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS ZEPHERINI PAPAE DE CAUSIS
INFRA INFERTIS

Zepherinus Romanae urbis archiepiscopus omnibus per Siciliam constitutis
episcopis in domino salutem.

- 5 Divinae circa nos gratiae memores esse debemus, quae nos per dignationis
suae misericordiam ob hoc ad fastigium sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius
inhaerentes et in quadam sacerdotum eius speculatione constituti prohibeamus
illicita et sequenda doceamus. Sicut stellas caeli non exstinguit nox, sic mentes
10 fidelium inhaerentes firmamento sanctae scripturae non obscurat mundana
iniquitas. Idcirco meditari vos oportet et scripturam et praecepta divina, quae in
scripturis continentur, diligenter attendere, ne transgressores legis dei, sed
impleteores appareatis.
- 2 | 38r
- 15 Patriarchae vero vel primates accusatum discutientes episcopum non ante
sententiam proferant finitimatam, quam apostolica fulti auctoritate aut reum seipse
confiteatur aut per innocentes et regulariter examinatos convincatur testes, qui
minori non sint numero, quam illi discipuli fuerunt, quos dominus ad
adiumentum apostolorum eligere praecepit, id est LXXII. Detractores quoque, qui
20 divina auctoritate eradicandi sunt, et auctores inimicorum ab episcopali
submovemus accusatione vel testimonio, nec summorum quispiam minorum
accusationibus impetratur aut desperet.
- 3
- 25 Neque in re dubia certa iudicetur sententia, nec ullum iudicium nisi
ordinabiliter habitum teneatur. Absens vero nemo iudicetur, quia et divinae et
humanae hoc prohibit leges. Accusatores autem eorum omni careant suspicione,
quia columnas suas dominus firmiter stare voluit, non a quibuslibet agitari.
Nullum namque eorum sententia suo iudice dicta constringat, quia et leges saeculi
id ipsum fieri praecipiunt. XII enim iudices quilibet episcopus accusatus, si
necesse fuerit, eligat, a quibus eius causa iuste iudicetur, nec prius audiatur aut
excommunicetur vel iudicetur, quam ipsi eligantur et regulariter vocatus ad
suorum primo conventum episcoporum per eos eius causa iuste audiatur et
rationabiliter discernatur.
- 4
- 30 Finis vero eius causae ad sedem apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur.
Nec antea finiatur, sicut ab apostolis vel successoribus eorum olim statutum est,
quam eius auctoritate fulciatur. Ad eam quoque ab omnibus, maxime tamen ab
oppressis, appellandum est et concurrendum quasi ad matrem, ut eius uberibus
nutriantur, auctoritate defendantur et a suis oppressionibus releventur, quia non
35 potest nec debet mater obliisci filium suum. Iudicia enim episcoporum
maioresque ecclesiae causae a sede apostolica et non ab alia, sicut apostoli et
sancti successores eorum cum aliis episcopis statuerunt, sunt terminandae, quia,
licet in alios transferatur episcopos, beato tamen apostolo Petro dictum est:
40 Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis, et quaecumque
solveris super terram, erunt soluta et in caelis, et reliqua. Privilegia, quae soli huic
sanctae sedi concessa sunt et in constitutis apostolorum eorumque successorum
- 5

6 fastigium] corrected from fastigium 13 Patriarchae]‡ in margin: de accusatis episcopis et de LXXII
testibus regulariter examinatos (sic) 14 finitimatam] corrected from finitivam 16 ad] added 26 XII ...
iudices] in margin: XII iudices quilibet episcopus accusatus si necesse fuerit eligat 37–38 et² ...
terminandae] added in lower margin; ca. seven letters erased between sancti and successores;
terminandae corrected from terminandi (?) 39 transferatur] corrected from transferator

aliis quamplurimis cum eis concinnantibus habentur inserta. LX enim apostoli sententias praefixerunt cum aliis quamplurimis episcopis et servanda censuerunt.

- 6 De occultis enim cordis alieni temere iudicare peccatum est, et eum, cuius non videntur opera nisi bona, iniquum est ex suspicione repreahendere, cum eorum, quae hominibus sunt incognita, solus deus iudex sit. Ipse vero novit abscondita cordis et non alias. In iusta enim iudicia ab omnibus cavenda sunt, maxime tamen a servis dei. Servum autem dei non oportet litigare nec quemquam damnare. Episcopi namque a plebibus et clero et domini a servis ferendi sunt, ut sub exercitatione tolerantiae sustineantur temporalia, sperentur aeterna. Auget enim merita virtutis, quod propositum non violat religionis. 45
- 7 Satagendum est vobis, ne aliquis fratrum vestrorum graviter laceretur vel pereat. Succurrere ergo vos oportet oppressis et liberare eos de manu persequentium, ut cum beato Iob dicatis: Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduae consolatus sum. Iustitia induitus sum, et vestivit me sicut vestimento et diadema iudicio meo. Oculus fui caeco, et pes claudio. Pater eram pauperum et causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui et dentibus eorum auferebam praedam, et reliqua. 50
- 8 Vos ergo, qui in speculo a domino estis positi, comprimere et repellere eos summopere debetis, qui fratribus insidias praeparant aut in eos seditiones et scandala excitant. Facile est enim verbo fallere hominem, non tamen deum. Ideo hos repellere et ab his vos cavere oportet, quatenus extincto funditus huiusmodi caligine lucifer eis resplendeat et laetitia orietur, sanctissimi fratres. 60
- 9 Data XII Kl. Octobris Saturnino et Gallicano vv. cc. cons. 65

58 Conterebam] corrected from conte **63** repellere] corrected from pellere